



Q. F. F. Q. S. 44. = 1275  
DISSERTATIO JURIDICA 1655 N3

DE  
MUTUO,

QUAM

Divino favente Numine,  
ET

Approbante Nobilissimâ Facultate Juridicâ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI Clarissimi, Consultissimi atque  
Excellentissimi

DN. CONRADI FRIEDELIEBI,

J. U. D. Fautoris & Præceptoris sui de-  
votè colendi,

Publico ac placido Eruditorum examini sistit.

JOHAN. PHILIPP. Lange/Stet. Pom.  
Autor & Respondens.

In Acroaterio Majori die Maji.



GRYPHISWALDIÆ

Typis Jacobi Jegeri ANNO 1655. excusa.



# VIRIS

Magnificis, Generosis, verè Nobilissimis  
ac maximè Strenuis

DN. HINRICH ab OSTEN,  
Consiliario Status Provincialis, in Penfun / Bates  
vitz & Bluggentin / &c.

DN. JOACHIM-CUNO ab OW-  
STIN, Consiliario Status provincialis, Hæredita-  
rio in Jamzow / Quilow / Bünsow & Sythen.

Non pecco in virtutes vestras, Viri Generosi, dum levidentes has paginas tholis vestris confecro. In vilissimis enim interdum virtus occulta, quæ cum fulgentem radiorum splendorem exferere nequeat, umbram tamen & virtutis simulaorum spargit. Nec utquam decoras virtutum effigies conspurcat, sed inservientis tantùm umbræ speciem sustinet. Sic ego, qui diu in votis habui, Vobis, Viri Generosi, servit a mea deferre; iam facto quodam evenit, ut vilissimâ hæc schedâ famulantis umbræ faciem sustineam. Non itaque levidentes has paginas, quibus vobis, Viri Generosi, inservitum venio, repudiatum ire confido. Nam

*Vaga cingitur astris*

*Luna, & in Oceanum rivi cecidere minores.*

Accipite tantùm hoc, quod Generosis vestris nominibus inscribo, serenâ fronte, non tamen ut legitimum munus, sed ejus obsidem; Coronam scilicet in gratiarum vestrarum templo suspensam, quæ non æquè ingrata erit, sic

*Vt Cereri sua dona placent, ac Orgyæ Bacchum*

*Exhilarant, dives prædæ tamen accipit omni*

*Exuvias Diana tholo:*

Quamvis verò vilissimum sit, quod lito, tamen clarissimorum nominum vestrorum splendore illustratur. Hoc me Generosis vestris Virtutibus ad officia & servitia obligatissimum devoceo. Maneatis tantum Mæcenates, ac Promotores mei magni, & in æternum vigete.

V. V. G. G. M. M.

*Hoc quaecumque subjectionis tuis libat  
devotissimâ manu*

JOHAN. PHILIPP. Lange!  
Auctor & Respondens.





## Quod Divinum illud Numen benè vertat!



Ullum sanè intemeratis Di-  
væ Themidos aris devotum,  
inficias ire, hanc Mutui  
materiam, non tantum tre-  
mendis quibusdam difficul-  
tatum obfuscationibus indo-  
lutam: sed etiam variis uti-  
litatum, ac amœnis jucun-  
ditatum Ambrosiis aspersam esse, autumo. Quod  
si quis hujus materie fundamina strenuè sudan-  
do investigaverit, remoto nebuloso difficultatis  
peplo, Adonidos se depastum ire hortos, ac flores  
Dionum degustare sentiet. Quam cum & ego  
propenso quodam genio elegerim, non tam osten-  
tandi animo, quàm discendi quâdam cupiditate  
stimulatus, recordans illius Philosophi: *κάν τὸν*  
*ἕπρον πόδα ἐν τῇ σωφῶ ἔχω προσμαθεῖν τὴ βελόμην.* Hanc  
optimam vivendi rationem & Julianus censuit  
l. 20. ff. de fideicom. liber. Ideoq; substratam ma-  
teriam publicæ disquisitioni subjeci, ut ruptis  
prius molestiarum repagulis, optatis votis perfrui  
queam.



# I. ONOMATOLOGIA.

ubi consideratur.

**L**aterem is lavaret ac Æthiopem dealbaret, qui rem omisâ nominis explicatione cog nosceret, teste Tabore *Elem. Jurisp. Meth. part. 3. § 4. tb. 1.* Quod & quidam Philosophorum his indicare voluit; vocabulorum intelligentiam principium eruditionis esse: Huic & Ulpianus adstipulatus *l. 1. ff. de reb. cred.* Quare & nos Mutui ἐνοματολογίαν, priusquam ad περὶ γυμνασίου λογίαν pervenimus, enodabimus, ne ἀμεθόδως & πρᾶποστερὲ rem inchoemus.

## (1) ETYMOLOGIA.

Derivatur Mutuum à meo & tuo, quod de meo tuum fiat, in re scilicet ejusdem generis, sub modo reciprocationis *in pr. Inst. quibus mod. re contr. obl. Paul. l. 2. §. appellata. C. de R. C.* Hæc Mutui notatio ipsam ejus formam exprimit. *Goedd. c. 1. n. 7. de R. C.* ut mutuum contractum censer non debeat, nisi dominium rei mutuatae actu vel potentiâ in accipientem translatum sit. Derivatio hæc non Grammatica, sed Logica Civilis & Juridica, non nominis, sed rei, Stoicorum Etymologiam imitans, qui non tam verborum, quàm rerum deductionem respiciunt. Verba enim sunt inventa, ut mentem exprimant, menti & sententiæ loquentis inserviant. *l. scire oportet. §. si aliud de excusat. tutor. l. 3. l. 1. de suppell. legat. Joh. Goed. de V. S. ad l. 6. §. 1. n. 7.*

## (2) HOMONYMIA.

Varias Mutui in hoc Juris oceano significationes offendimus; aut enim Mutuum consideramus propriè aut minus. Minus propriè & communiter accipitur pro commodato. *l. 49. §. 2. de Legat. 3. l. 12. §. 14. de*



de instruct. vel instrum. leg. & vicissim commodatum pro  
mutuo l. 2. C. de his. qui ex publ. rationib. Item pro reci-  
proco & vicissitudinario, ut cum dicimus mutuo amo-  
re beatus, l. 1. de donat. inter vir. & uxor. l. 39. solut. ma-  
trim. mutuas actiones l. 11. §. 1. de Jurisd. & Wesenb. in  
D. de R. C. n. 8. Nonnunquam pro re, quæ in mutu-  
um venit, ut cum dicitur mutuidatio, mutuum dare  
& accipere princ. §. 1. 2. Inst. quib. mod. re cont. obli. l. 2. 3.  
4. 16. & passim de R. C. Vult. ad princ. Inst. quib. mod. re  
cont. obli. n. 5. Propriè pro ipso contractu mutui §. 2.  
Inst. de I. N. G. & C. l. 1. in fin. l. 2. §. 3. D. b. t.

(3.) SYNONYMIA.

Appellatur aliàs creditum l. 2. §. 1. l. 15. D. de R. C.  
l. 19. in fin. ad S. C. Vell. l. 3. §. 2. si filiusfam. ad S. C. Ma-  
ced. l. 5. §. Sed si 18. de tribut. act. l. 7. de V. O. l. 11. de V. S.  
cum tamen mutuum à credito differat ut species à ge-  
nere, quoniam non solum in rebus, quæ numero, pon-  
dere & mensurâ continentur, sed etiam extra eas con-  
sistit, Goed. in Prolegom. n. 6. de reb. cred. Mutuidatio  
princ. Inst. quib. mod. re contrab. oblig. Mutuatio Vult. in  
Jurisp. Rom. l. 1. c. 131. n. 2.

## II. ΠΡΑΓΜΑΤΟΛΟΓΙΑ

Ubi i. consideratur ejus definitio.

**M**UTUUM EST CONTRACTUS §. 2. Inst. de J. N. G. &  
C. §. 2. Inst. de obl. que re cont. Dn. Hahn. in Disp. 12.  
n. 15. Confirmat nostram sententiam ratio hæc: quod  
omnis conventio aut sit pactum nudum, aut contra-  
ctus, aut quasi l. 5. 6. 7. ff. de pact. Sed mutuum non  
est pactum nudum, cum aliquid amplius habeat, quàm  
nudam conventionem, ut patet ex §. 1. Inst. quib. mod.  
re contrab. obli. l. 2. §. 1. & 2. D. de R. C. l. 1. D. de O. & A. ne-

A 3 que



que quasi contractus d. §. 2. *Inst. de obl. qua re contrab.*  
Fundamentum contrariæ opinionis quære in *L. Labeo.*  
*ff. de V. S. Job. Coras. in l. frater à fratre de condict. indeb. n.*  
*3. Oleman. in Antinom. disp. 24. n. 26. in object. & resolut.*  
*Alciat. & Dd in d. l. Labeo.* Verùm responsionem habe  
à *Goedd. ad d. l. Labeo. Lindem. disp. 6. tb. 14.* JURIS GEN-  
TIUM. d. §. 2. *l. de J. N. G. & C. Claris. & Excell. Dn.*  
*Schnobel. ad lib. π. Disp. 8.* Ratio est, quia ad omnes  
homines aut saltem ad eos, qui ratione vivere volunt,  
extenditur. Exemplo sunt, homicidas interfici, ad-  
ulterum puniri, ut debitor memorem se ostendat be-  
neficii, & gratum adversus eum, qui rebus angustis  
necessitati ipsius succurrit, ut contractus celebrentur  
venditiones, emptiones, locationes, conductiones,  
deposita, societates, mutuidationes: *Theophil. in Inst.*  
*de J. N. G. & C. Harmenopol. lib. 1. Epitom. jur. tit. NO-*  
*MINATUS*, id est, verus & proprius, habet enim propri-  
am ac specialem determinatam formam d. §. *jus autem*  
*gentium. Inst. de J. N. G. & C. l. 2. ff. de R. C. nomina*  
*tamq; actionem producit Dn. Hahn. disp. 12. n. 14. in*  
*π. de R. C.* Quam innominatus non habet, sed tantum  
generis sui formam contentus *l. 1. l. 5. & 9. ff. de prescript.*  
*verb. Goed. in proleg. de R. C. n. 94.* REALIS dicitur, non  
quod planè consensu destituatur (cum ad eundem  
non minus ac ad cæteros consensus requiritur. *l. 1. §. 1.*  
*ff. de pact. l. 55. ff. de O. & A. l. 3. §. 1. ff. eod. l. 32. ff. de R.*  
*C. Clarissimus & Excellentiss. D. Schnobelius disp. 8.*  
*ad π tb. 1. n. 3.)* sed quod præter consensum, res ad cau-  
sandam obligationem perficiendumq; contractum re-  
quiratur *l. 1. §. 2. de O. & A. Donell. lib. 12. com. c. 12. We-*  
*se nb. in π. de reb. cred.* Hinc Dd. hâc utuntur hyperbo-  
le, quod sidera citius de cœlo caderent, quàm quod  
mu-



Mutuum sine re contrahere posset. Steph. Forcat. *in*  
*Necromant. dialog. 3. n. 1.* Res intervenire debet, nec po-  
test Mutuum consistere, nisi pecunia proficiscatur,  
Paulus *in d. l. 2. §. 3. in fin. de R. C.* STRICTI JURIS, quia  
natura strictam juris normam sequitur, & ejusmodi est  
negotium, quod ex se & sua natura utrinque producit  
obligationem, qualia non sunt b. fidei; ideoq; non  
possit hic Judex utrique aliquid adjudicare, *arg. §. 18.*  
*l. de Act. §. 16. de eo, quod certo loco. Dn. Hahn. disp. 12 n. 9.*  
*ad π.* QUO REM FUNGIBILEM, quæ numero, pondere  
& mensurâ constat, *princip. Inst. quib. mod. re contrab. obl. l.*  
*2. §. 1. D. de R. C. EO DAT ANIMO*, ut dominium ei trans-  
ferat *l. 28. l. 75. D. de V. O. l. 167. pr. de R. I. DEBITORI*, hu-  
jus significatio cuius constabit, ex significatione cre-  
ditoris. Cognito enim uno contrariorum, cognitum  
est & alterum *arg. pr. Inst. de his, qui sui vel alien. jur. sunt.*  
*l. 1. in pr. ff. eod. UT EANDEM* scilicet in bonitate & qua-  
litate interna, *pr. l. quib. mod. re cont. obl. NON IN SPECIE*  
*SED INGENERE RESTITUAT. l. 2. §. 2. D. de R. C.* No-  
tandum hîc, speciem & genus aliter sumi, quàm apud  
Philosophos, quibus species est id, quod de pluribus  
numero differentibus prædicatur; genus de pluribus  
specie diversis prædicatur, cum species hîc sit ipsum  
individuum, ut hæc pecunia, hoc triticum &c. Genus  
verò sit species, ut vinum, frumentum, oleum Zoefi-  
us *in π. de R. C. n. 7.* Quæstio hîc occurrit. An, si tibi  
crederem nummos, & tu hisce non indigeres, in spe-  
cie eosdem mihi redderes, Mutuum sit? quæ quam-  
vis à Bachovio jejuna appelleretur, quodq; planè dubi-  
tandi ratione destituatur, Bachov. *disp. 20. th. 1. lit. G.*  
cum à Dd. tamen in dubium vocata sit. Nos affir-  
mantium partes sustinebimus, cum accidentia substan-  
tiam



tiam rei non immutari possint, *arg. l. 24. §. 15. D. de fi-  
deicommiss. lib. ac uniuscujusque contractus initium spe-  
ctandum sit l. 8. in pr. mandat. l. 12. ad S. C. Maced. l. 1.  
§. 13. §. 30. in fin. D. depos.*

## 2. Resolutio definitionis, & quidem primo loco investiganda est CAUSA EFFICIENS.

CAUSA efficiens est vel remota vel proxima. Re-  
motā est Jus Gentium. *arg. l. 5. ff. de Just. & Jur. §.  
Jus autem Gentium. Inst. de J. N. G. & C. l. si ita stipulatus.  
126. §. Chrysonus D. V. O Testatur enim Hermoge-  
nes in d. l. 5. Item Justinianus in §. jus autem Gentium.*  
Omnes contractus, qui conventiones sunt, juris esse  
gentium, exceptis iis, qui specialiter à jure civili intro-  
ducti; verum hæc exceptio nullibi ad Mutuum ex-  
tenditur. *Goedd. c. 2. n. 4. de R. C. Proxima est con-  
sensus contrahentium Wesenb. in π. de R. C. n. 10. non  
autem rei traditio, quæ ad formam referri debet. arg.  
princ. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. Hahn. π. de R. C. n.  
10. Quilibet autem hoc jure uti potest, cum eorum cau-  
sâ jus omne constitutum sit l. 2. ff. de statu hom. §. fin. Inst.  
de J. N. G. & C. si modò non naturâ vel lege prohibe-  
antur. I. Naturâ prohibentur infantes, qui propter  
defectum consensûs ad contrahendum mutuum inc-  
epti sunt. §. pupillus. 9. Inst. de inut. stipul. l. 1. ff. de V. O.  
Imò furioso comparantur l. sancimus. 7. pr. in fin. ad S. C.  
Trebell. l. pupillus. 9. de acquir. hered. l. 1. §. huic proximus.  
13. de O. & A. Hinc infans eodem jure cum furioso uti-  
tur, non tantum in contractibus, sed etiam in delictis,  
quod eleganter Modestinus asserit in l. 12. ad L. Cornel.  
de Sicar. Infans vel furiosus, si hominem occiderint,  
lege*



lege Corneliâ non tenentur, cum alterum innocentia  
consilii, alterum fati iniquitas excusat. 2. Furiosus  
Mutuum dare & accipere prohibetur, demens & infi-  
gniter stultus ac fatuus *l. si à furioso. D. de reb. cred. l. si à  
furioso. 24. D. de act. & oblig. Si tamen furor intermittat,*  
ita, ut habeat certa intervalla. *l. furiosam. 9. C. qui testam.  
fac. poss. l. 18. de acquir. poss. tempore intermissionis, non*  
Mutuum saltem, sed & alios potest inire contractus  
*l. 2. C. de contrab. empt. 3. Ebrius ad exilium usque men-*  
tis, est enim in ejusmodi summè ebrio nulla ratio, nul-  
lus consensus, qui tamen animâ contractus, Anton.  
Hering. *in tit. de fidejuss. c. 7. n. 26. 4. Prodigus con-*  
sensum quidem habet, sed non legibus conformem,  
qualis in prodigo non est, ratio hæc est, cum Reipu-  
blicæ expediat, ne quis re suâ malè utatur. *S. fin. Inst.  
de his qui sunt sui vel alien. jur. Prodigus autem omnia*  
sua bona dilacerando & dissipando profundit, ut sci-  
tè Ulpianus *in l. 1. ff. de curat. furios. II. Lege prohiben-*  
tur (1.) Pupillus sine Tutoris auctoritate Mutuum ne-  
que dat rectè neque accipit. *l. in negotiis. 5. ff. de R. J. l.*  
*non omnis. S. si pupillus. D. de R. C. l. 1. S. penul. l. pupillus. 59.*  
*de O. & A. 1. propter lubricitatem ætatis & iudicii in-*  
sufficienciam. 2. Propter ademptam bonorum admi-  
nistrationem, quæ tutoribus non quidem principali-  
ter, per consequentiam tamen demandata. 2. Minor  
curatorem habens citra ejus consensum mutuum con-  
trahere non potest, nisi locupletior factus aut dolo  
quid fecerit. *arg. l. 3. C. restit. in integr. minor. l. princeps. 21.*  
*ff. de V. S. Ratio quare contractum nequeat celebrare,*  
hæc est: quoniam in omni contractu duo sunt essen-  
tialia, sine quibus contractus fieri nequit: CONSEN-  
sus & NEGOTIUM, Consensum quidem habet mi-  
B nor,



nor, si naturam inspicias; si legem, pro nullo reputatur. *l. 3. C. de in integr. restit.* Negotium quoad rei præstationem in minore non subsistit, cum rei præstationem non habeat, & hæc ipsa datione Curatoris non quidem ut Prodigio interdicta, sed tamen adempta. Bachov. ad Treutl. *vol. 1. disp. 6. tb. 5. lit. C. 3.* Filius familias, qui adhuc in potestate Patris sui est, mutuum non rectè contrahit, propter S. C. Macedonianum. *l. 1. 3. §. 1. & seqq. l. penult. & ult. ad S. C. Maced.* Potest autem efficaciter obligari, si mutuatio sit facta studiorum gratiâ: quia studiorum maximus est in Jure favor *auth. Habita. C. ne filius pro pa. r. l. 1. C. qui atat. & profess. se excus.* Hinc breviter assero, quod omnes Mutuum dare & accipere possint, qui naturâ & legibus sunt habiles.

## 2. MATERIA.

**M**ateria Mutui res est, non quælibet, sed quæ pondere, numero & mensurâ consistit: ut sunt vinum, frumentum, pecunia numerata, æs, aurum, argentum, ut est *princ. Inst. 2. M. RC. Obl.* Hæ enim res & similes functionem, id est, dationem & redditionem æquivalentem, seu communicationem & mutuum usum recipiunt, h. e. præstant in suo genere per solutionem ejusdem generis, quæ facit, ut eadem res, quæ data, usûq; consumpta est, creditori reddi videatur; non in specie, id est, individuo, quia inutiliter res communicarentur, si eadem species esset reddenda, cum illarum non sit usus nisi in abusu, & in consumptione. In cæteris verò rebus ideò in creditum ire, id est, mutuum contrahere non possumus, quia in suo genere non recipiunt functionem mutuam, cum in una re non  
tan.



tantum sit utilitatis, quantum in altera, ut hic bos, asinus equus, non æquè bonus est atq; ille bos, &c. Hinc si pro meo equo alium mihi solveres, non idem redderes, quod accepisti, sed alium: ast aliud pro alio invito creditore solvi non potest, *l. 2. §. 1. de R. C.* Inde quidam sunt in opinione, pisces, panes, carnes & alia ejusdem generis mutuo dari non posse, cum non sint quantitates & res fungibiles; sæpiusq; evenit, ut ferè nunquam ejusdem bonitatis reddi queant. Sed verius videtur, in his etiam Mutuum consistere, præsertim, si panes, carnes & pisces dantur ad certum pondus, hâc lege, ut ejusdem ponderis & bonitatis reddantur, & tunc ejusmodi res non amplius pro corporibus, sed pro qualitate accipimus, quemadmodum sæpè numero fit, ut quantitas accipiatur pro corpore, veluti si quis commodato sumat pecuniam, & vice versâ corpus nonnunquam pro quantitate, ut fit in *l. quod sæpe. 35. §. in his de contrab. empt.* Ubi grex annumeratur his, quæ numero constant, si modò venerit ad numerum. Hoc casu etiam in genere Mutuum consistere potest, si nimirum grex detur ad numerum, ut totidem capita reddantur ejusdem bonitatis. Vide Cujat. *ii. obs. 37.* & Gœdd. *ad l. 4. n. 33. de V. S.*

### 3. FORMA.

Sublatâ formâ Mutuum tollitur, quâ verò adveniente Mutuum constituitur, necessarioq; ponitur. *arg. l. queritur. 10. ff. de stat. hom. & l. Imperium. 3. ff. de Jurisdic. dict.* Forma autem Mutui consistit in rei traditione, & obligatione ad reddendum *arg. princ. Inst. quib. mod. re contr. oblig. Dn. Hahn. in π. disp. 12. n. 12.* Traditio est vel vera vel ficta: Illa fit, quando propria & actua-

B 2

lis



lis numeratio intervenit, & res accipienti reverà traditur. *l. 2. §. 3. D. de R. C.* Hæc à lege intervenire fingitur, & quidem (1.) per brevem manum i. e. per benignam juris interpretationem, si jungantur plures actus per fictionem quandam, ut in uno quodammodo occultentur, nempe si jussu creditoris debitor alteri solvat mutui constituendi gratiâ, vel debitum ex alia causa pactione in mutuam pecuniam mutetur. *l. certi. 9. §. fin. & seqq. l. rogasti. in princ. l. singularia. 15. Cujat. obser. 8. lib. 8. Coras. lib. 6. miscell. c. 16. Goed. c. 3. concl. 2. in pr. de R. C.* (2.) per consumptionem rei creditæ. Intelligimus autem hic tantum illam, quæ bonâ fide; si enim dolo consumpta fuerit res, actione ad exhibendum venire potest. *l. 5. C. ad exhiben.* Sic si mutuum dat, fur, prædo, servus, mutuum non numeratione, sed consumptione bonâ fide facta reconciliatur. *l. nam etsi fur. 13. §. 1. de R. C. Goed. c. 3. concl. 1. n. 6.*

#### 4. FINIS ET EFFECTUS.

**F**inis mutui duplex est, vel remotus vel propinquus. Remotus est, ut indigentiae humanæ consulatur; cum enim omnes in universum homines parili necessitatis vinculo nexi ducerentur, ut alter alteri opere, opere & operâ omninò vacare minùs posset, mutuâ indigentia compulsi, ab initio statim contractus inveniunt & commercia. Hinc dicitur humanis necessitatibus & usu exigente contractus fuisse inventos. *§. 2. Inst. de J. N. G. & C. l. ex hoc jure. 5. de J. & J.* Propinquus est usus Dn. Hahn. *in n. disp. 12. n. 13.* ut re creditâ aliquamdiu fruatur debitor. *l. in commodato. 17. §. 3. D. comodat.* Neque enim debet creditor cum sacco, ut ajunt, paratus venire. *l. quod dicimus. 105. de solut.* Et si  
spati-



spatium hujus temporis fuerit definitum standum, per  
*l. contractus. 23. ff. de R. I. l. 17. ff. commod. ut rem in eadem  
bonitate eodemq; genere reddat l. 3. ff. de R. C.*

Effectus mutui est obligatio, quâ mutuarius ad  
debiti restitutionem tenetur. Nascitur ex hac obli-  
gatione condictio certi, qua cum certum petitur, tum  
maximè ex hoc contractu competit, eò quod Mutu-  
um non contrahatur, nisi de re, numero, pondere &  
mensurâ consistente *l. certi. 9. in princ. & seqq. J. J. l. si  
quis. 24. D. de R. C. l. 1. de triticiar. condict. Goed. c. 5. c. 2.  
de R. C.* Orta autem hæc obligatio & certi condictio,  
nescio è qua hominum malignitate; qui cum verecun-  
diæ nescii & pudoris ignari, beneficia beneficiis non  
redhostirent, nec muto accepta redderent, non atten-  
ti, quod naturalis ratio dicitur, quæ quasi lex tacita.  
*l. 7. de bon. damn. ut beneficienti beneficiamus. l. 25. §.  
11. de hered. petit.* Adeoq; Magistratus coactus fuit le-  
ges naturales, quæ non timoris, sed pudoris ac hone-  
statis vinculo antea obligabant, vi quâdam coarctivâ  
instruere, & ad debiti restitutionem debitores  
refractarios, morosos & iniquos  
competenti modo com-  
pellere.

SOLI DEO GLORIA.



B 3

Mis-



## Miscellanea.

**A**N Jus Nature sit immutabile? Resp. Aff.

Scriptura an sit de essentia legis? Resp. Neg.

Mulier num virili officio fungi possit? Resp.  
Neg.

Num status Aristocraticus optimus sit in Repu-  
blica? Resp. Neg.

An Monarcha legibus sit solutus? Resp. Neg.

ΑΥΤΟΧΕΙΡΙΑ num sit licita? Resp. Neg.

Num feudum consistat tantum in rebus immobi-  
libus? Resp. Aff.


An Vasallus Domino pro feudo servitia presta-  
re debeat? Resp. Aff.

Num feudum ad fœminas transeat? Resp. Neg.

An dentur quatuor Monarchiæ? Resp. Aff.

Belus num primus fuerit Monarcha? Resp. Aff.

An semiramis Regnandi cupiditate Ninum  
per alios interfecerit? Resp. Aff.



**M**Utua defendis tu fortiter, optime LANGI,  
certè defendi nunc ea prona salus.

Haëtenus à paucis defensa superstite lite,  
sunt spoliata bonis sunt macerata nimis.

Tu



Tu LANGI repara, quæ sunt perplexa, mereris  
laudes, & de te Mutua viva manent.

AUTOGRAPHIS scrib.

Petrus Stephani J. U. D.

Profess. Ord. Consistorii Regii  
Asfessor, & p. t. Facultatis Juri-  
dicæ Decanus.



DEBITOR es Fili: DEUS ipse est CREDITOR: Ecce  
Credidit ingenium, vitam, facilesq; Penates?  
Tu contra obsequium debes studium atque laborem,  
Debita quæ solvas, ne sit condictio certi.  
Posce Deos ergo veniam, nec parce labori,  
Amplior ut crescat, quæ Spes de te ampla reluxit.  
Et quia Gryphiacis tibi jam certamina Sylvæ,  
Pertenta vires Docto sub Præsede doctas,  
Et perge, ut possis Patriæ esse decori, & honori.

Quod gratulor Præstantissimo & Literatissi-  
mo Dn. JOHANNI PHILIPP. LANGIO  
de Mutuo disputaturo, Filii instar di-  
lecto, favente animo & calamò.

Joan. Sithmann D.



Ad Eximium & Præstantissimum

DN. LANGIUM, Eruditæ Disputa-  
tionis Authorem.

CREDITA, quæ varios multos torsere per annos,  
LANGI, dum volvis, dumq; ligata secas.

Omen




*Omen in eventum est, reliquos quæ gloria mansit,  
Et te mansuram, quam parat alma Themis.*

Gratulabundus scripsit

PRÆSES

CONRAD Friedelieb/ J. U. D.



**P**ulpita cordatus claro sub Præside scandis,  
Assiduumq; doces quid faciat studium.  
Credita res quid sit dum dicis, fortiter audes  
Insultus etiam pellere contrarios.  
Gratulor ex animo, cæptum sic perfice cursum,  
Patria terra dabit digna Brabæa tibi.

*Fraternum animum erga Eximium Dn. Res-  
spondentem LL. Cultorem strenuum con-  
testandi ergò hac exigua apponere voluisse  
debit*

Constantinus Stammerus, Dantisc.

SS. LL. Stud.





ULB Halle 3  
003 615 200



Sb.

VD 77











S. 44. = 1275  
RIDICA 1655 13

14

10,

nine,  
ltate Juridicâ,

mi atque  
EDELIEBI,  
toris sui de-

mini sistit  
/ Stet. Pom.  
Maji.

I Æ  
655. excusa.

